Weiss

DE

HOMINE SVBMITTENTE SE CONSILIO DEI DE VNO CHRISTO AC DOMINO IESV.

DISPVTATIO

QVAM

SVMME VENERANDI THEOLOGORVM

IN ACADEMIA LIPSIENSI

ORDINIS

AVCTORITATE

PRO LICENTIA

SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES

CAPESSENDI

D. XV. ET XVI. IVNII. A. R. S. MDCCXCVI.

PVBLICE DEFENDET

CHRISTIANVS SAMVEL WEISS

A. M. TH. BACCAL. ET AD AEDEM NICOL.

DIACONVS.

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.

VIRIS
MAGNIFICIS ILLVSTRIBVS
CONSVLTISSIMIS EXCELLENTISSIMIS
AMPLISSIMIS
CIVITATIS LIPSIENSIS
CONSVLIBVS
PROCONSVLIBVS
AEDILIBVS
PRAETORIBVS
ET RELIQVIS
SENATORIBVS GRAVISSIMIS
PATRONIS
OBSERVANTISSIME COLENDIS

VIRI

MAGNIFICI ILLVSTRES

CONSVLTISSIMI EXCELLENTISSIMI

AMPLISSIMI

PATRONI PIE COLENDI

Tam inſignis eſt *VESTRA*, *VIRI Magnifici* atque *Illuſtres!* in me, atque gentem meam, inde a longiſſimo tempore beneuolentia, tot tantaque ſunt fauoris ac patrocinii *VESTRI*, nunquam ſatis praedicandi do-

cumenta, tanta denique *Amplissimi Ordinis VESTRI* in incolumitatem fortunamque familiae meae, per integra secula, merita; vt iam pater meus, quum *VESTRIS, Patres ciuitatis Venerandi!* in munere illustrissimo *decessoribus*, eadem, qua ego nunc, data opportunitate libellum academicum verecunde traderet, his vti verbis posset: „*Accipite grates, quas meo et, dum abaui, aui, parentisque, o chara perquam nomina! cineres manesque cogito; maiorum quoque meorum nomine, sincero ingenuoque corde, VOBIS, rerum mearum, post Deum, statoribus maximis pius rependo.*“ Quid tandem dicam ego, qui quartus ab abauo ibi me-

morato, cum filio plus vno, expertus iam sim, per plures annos, eandem *VESTRAM* plane admirabilem beneuolentiam, curam, tutelam, liberalitatemque? Nihil sane, neque possum dicere, neque dicam, nisi hoc: aeterna memoria, ac perpetua veneratione dignissima mihi fore *VESTRA Nomina Illustrissima*, *VESTRIQVE Venerandi Ordinis* ornamenta ac beneficia. Ita affectus equidem, tacita magis pietate, itemque ardentissimis precibus diuinae prouidentiae commendabo indies *VOS*, *VESTRASQVE gentes splendidissimas*, curiam, vrbem denique dilectissimam patriam, speroque certissime, fore vt cumulatissime celebrentur, omnique honoris ac

felicitatis genere, ad vltima vſque ſeculorum futurorum tempora augeantur,

NOMINIBVS VESTRIS

MAGNIFICIS ILLVSTRIBVS

EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS

addictiſſimus

CHRISTIANVS SAMVEL WEISS.

DE HOMINE SVBMITTENTE SE CONSILIO DEI DE VNO CHRISTO AC DOMINO IESV.

Seculi, quod et quale iam prope abeſt a decurſu, genium eo maxime conſpicuum ſe facere, aut, qualis ſit, potius prodere, vt Ieſu domino atque auxiliatore in negotio ac ſpe ſalutis ſempiternae facile carere poſſe homines, cultiores ſcilicet et puriore clarioreue luce colluſtratos, hiſtoriam tantum non omnem de illo, et qualiacunque antiquiorum temporum de eodem praedicta aut promiſſa, ſi non omnino reiicienda, negligenda tamen et plebeculae rudiori relinquenda eſſe, temeraria leuitate prae ſe ferat; quis quaeſo tandem negare audeat? Accuſandi quidem carpendique omnino omnes, qui admodum diuerſa ratione ac vario tramite a doctrina, quam nos e libris ſacris didiciſſe profitemur, cuiusque vindicias omni ſtudio agere in officiorum grauiſſimorum numero habemus, nullo modo animus nobis eſt. Immo vero haud parum iniurii nobis videremur ipſi in praeſentis temporis, ac floreſcentis in quauis fere literarum parte ſtudii, felicitatem, qua me ipſum frui ac laetari hactenus potuiſſe, in beneficiorum diuinorum inſignium numero pono, ſi iniqui conſilii in tuenda ſententia noſtrae aduerſa reos iudicare omnes ſuſtineremus. Quin potius ad excuſandi atque indulgendi facilitatem nos propenſiſſimos ſentimus; certiſſime

quippe perſuaſi, lenitate plus quam auſteritate, communi ſtudio quaerendi et repertam modeſte vindicandi veritatem plus quam impugnando atque condemnando errore aliorum effici. His equidem adfectus ſenſibus, quae de aetatis noſtrae cogitandi aut diſputandi ratione, quantum ad iſtud potiſſimum argumentum grauiſſimum pertinet, exiſtimem, liberius me dicere poſſe ſpero. Enimuero, vt mihi videtur, non potuit partim ex intenſiſſimo philoſophiae, partim ex meliori interpretandi ſcriptores etiam diuinos ſtudio non prodire dubitandi de capitibus doctrinae chriſtianae primariis, ſaltem de explicandi aut proponendi iſta antiquiori conſuetudine propenſio. In quibus locus de conſilio diuino excitandi inter homines vnum aliquem, ceteris omnibus ſuperiorem, quem a ſe miſſum, filiumque ſuum eſſe Deus ipſe aperte confirmaret, cui ſummam tribuiſſet atque conciliaſſet auctoritatem, cuiusque munus opusque in eo verſari certiſſime omnibus perſuaſum vellet, vt homines omnes per hunc vnum ad felicitatem omnimodam ducerentur; inprimis numerandus eſt. Haec docebat Scriptura; haec erat profeſſio antiquitatis chriſtianae, haec emendatae doctrinae inter Proteſtantes per hoc binum et quod excurrit tertii ſeculi dimidium publice recepta ac probata formula. Quid vero Philoſophia, quid ſubtilius cultioris exegeſeos et theologiae omnis ſtudium? Philoſophia ſubtilior operam inprimis collocauerat in eo, vt naturam Dei accuratius cognoſcendam, argumenta exiſtentiae atque perfectionum ſummi rerum omnium auctoris atque gubernatoris, eorumque vim ac pretium ad amuſſim ponderaret firmiusque conſtitueret, et rationem Deum colendi digno plane modo explicaret. Moralis philoſophiae vbique quaſi renaſcens et magno cum feruore erumpens amor, impleuiſſe videbatur omnes ita, vt

tantum non philosophiae aeque ac theologiae quaestiones omnes ad vnam hanc regulam examinari atque ex hac de illis iudicari debere crederetur. Exegeseos denique multis modis adiutae atque omnino cultioris redditae, ingeniis variorum perpolitae ac, si ita loqui licuerit, magis eruditae factae commendatio et auctoritas tanta euaserat, vt vrendo ac secando vim inferre crudelissime dogmatum parti cuiuis haud obscure minaretur. Quod quo iure quoque successu, infausto magis ac noxio doctrinae diuinae, an vtili et futuris potius seculis profuturo factum, et quousque tandem progressos multos esse viderimus, locum hic disputandi non esse existimo. At enim vero, quid tandem enasci ex multiplici ista literarum praecipue diuinarum veluti conuersione hac aetate nostra aliud potuit, quam vt labefactata multa, alia dubia euaderent; non pauca denique religionis dogmata deserenda, abiicienda, in nouam formam cogenda, inuita natura, multis viderentur?

§. 2.

Atque haec praefaminis loco dicta parauisse satis mihi videntur viam ad tractationem dicti argumenti ad disceptandum propositi. Vim scilicet exseruisse istam nostri temporis versandi in literarum sacrarum interpretatione omnique theologia rationem, nominatim in tractationem loci grauissimi de *Iesu, Christo ac domino*, deque vniuerso *consilio Dei*, in *adornando salutis ordine*, siue negotio ipsi mandato de recuperanda felicitate generis humani, cuius iacturam primi homines peccando fecerant, nullo modo negari potest. Quae cum a multis ea audacia, in rem verecunde, si alia vlla, maxime tractandam et iniquitate adhibita sit, vt nulli dicto aut argumento scripturae parcerent,

et quod idoneis argumentis ipſi non poſſent, ridendo quasi et ingenioſe ſcilicet ludendo, atque dictitando, tanquam qui auctoritate ſatis pollerent, remouere ſe poſſe prae ſe ferrent; ſeueriore etiam refutandi, quae nobis obiicere ſtuduerunt, armorumque, quibus ipſi aduerſus nos vtuntur, simili apparatu opus eſſe omnino videtur. Speramus igitur ac plane confidimus, neminem nos temerarii conſilii in defendenda cauſa tanta, nedum iniuriae in alios accuſaturum, ſi ea via procedamus, quam indicauimus, h. e. vt ad *ſubmiſſionem* diuino conſilio de Iesu vno Chriſto ac domino praebendam inuitemus potius lectores, quam cogere animum nobis esse prodamus.

§. 3.

Quae vero me mouerint, vt tali formula vterer, qualis in titulo libelli occurrit, paucis explicare liceat. Pie pariter atque erudite et ſubtiliter ante hos ſeptem et quod excurrit annos Vir immortalis apud nos, immo apud omnes, qui res diuinas norunt et tractant, memoriae, venerandus Morvs ſcribere coeperat *de homine ſubmittente ſe Deo*, tribus academiae Lipsiensis auctoritate propoſitis, feſtis temporibus, libellis. Animo is et cogitatione tenuerat, conſueuisse ſacros ſcriptores appellare ταπεινȢν ἑαυτόν; et commendare christianis tanquam primam quasi in omni pietatis exercitio legem atque officium. Fallor equidem, aut vir perſpicaciſſimus, subtiliter accurateque omnia tractans, atque aſſiduitate incredibili perquirens ac comprehendens, in animo habuit progredi vlterius in tractando argumento latius haud dubie patente. Tum vero, cum scribebat, quae nobis tradidit, ante oculos ipſi verſabatur vſus propoſitae et commendatae ſubmiſſionis, in animo pariter atque vita

christiana emendanda. Scribebat enim, vt ipse fassus est, auditoribus, h. e. iuuenibus ad tradendam populo religionem praeparandis, quos in concionibus aliquando cuperet tractare diligentius illud argumentum de submittendo animo humano Dei voluntati atque auctoritati, inprimis quatenus id vim habere videretur in poenitentiae necessitatem inculcandam et agnoscendam. Partem vero quaestionis aut disquisitionis isto nomine comprehensae alteram, quae non ad officiorum christianorum commendationem, sed ad fidei christianae confirmationem pertinere videbatur, tantum abest vt neglexisse virum excellentis ingenii atque non fucatae pietatis suspicemur, vt potius ipsum scribendo prope admodum distantem ab hac argumenti nobilissimi accommodatione deprehendisse nobis videamur in loco libelli eo, qui *normae sapientissimae aeternae, immotae ac sacrosanctae* hominem *intelligentem* ac *liberum* adstrictum putare se debere praecipit. Itaque gratissimus equidem fateor, ideam in animum ingessisse viamque mihi monstrasse Virum ab initio studiorum academicorum mihi cognitum tanquam assiduitatis et ἀκριβείας fere inimitabilis exemplum illustre ac iucundissimum, et ad vltimum vsque vitae halitum maxime mihi venerabilem, ad idem argumentum denuo tractandum atque in alium quasi vsum conuertendum. Legendo enim ac relegendo istos doctissimos V. Mori libellos subiit animum meum cogitatio, an non errorum omnium atque controuersiarum in doctrina de Christo fons agnoscendus sit aut detegendus maxime in hoc, quod homines nostri inprimis seculi nolint se submittere Deo docenti ac iubenti, in vno Christo quaerendam esse hominum cuiusuis aetatis aut conditionis salutem. Haec iterum iterumque cogitata atque examinata et ad controversias de Christo saluatore, eiusque auctoritate ac dignitate

translata, certum me magis magisque reddiderunt, non fine fructu esse posse, si admoneantur rursus hoc tempore homines modeste ac verecunde, vt discant se submittere Christo; siue, vt res accuratius verbis exprimenda mihi videtur: *Iesu, Christo ac domino* ex consilio aeterno Patris nobis *constituto.*

§. 4.

Habui vero etiam monitorem atque ducem ad huius quaestionis deligendae consilium alterum, *Ernestium* τὸν πάνυ, praeceptorem nullo tempore non celebrandum atque pio maxime animo semper recolendum, in triplici itidem libello, inscripto: *Vindiciae arbitrii diuini in religione constituenda*: annis huius seculi quinquagesimo sexto, et sexagesimo secundo editis; quorum argumentum tanto cupidius me quasi imbibisse licebit profiteri palam, quo magis eam cupiditatem postularet ac nutriret defendendi publice tertiam eruditissimi operis ab Ernestio scripti partem mandata tum mihi prouincia. Atque omnino in istis libellis insunt multa, quae ad ipsam disputationem meam praeparare animum poterant. Dabo igitur operam, vt neque hoc tanto praeceptore plane indignum me praebeam; quin potius, quae ille passim posuit in libello dicto, et in quibus viam mihi muniuit, gratus in vsum meum conuertam, ipsumque pie sequar.

§. 5.

Iam vt vtrumque, quod me accepisse gratus profiteor, colligam, atque partim *arbitrium* diuinum in capiendo consilio de modo ac mediis salutis hominum recte vindicem, partim vero etiam *submissionem* huic consilio debitam iustis

argumentis defendam, vel potius optima ratione aliis commendem; age nunc propius ad propositum accedam, et quibus verbis id perspicuum facere legentibus studuerim, quidque maxime his verbis inesse existimem, vlterius explicabo.

§. 6.

Ordiamur igitur a *submissionis* vocabuli explicatione. Quam nos dicimus submissionem, ea proprie atque sermoni latino magis conuenienter videtur designare illam *animi affectionem, qua superiorem omni intelligentia humana, pii ac lubentes agnoscamus diuinam sapientiam* atque falli aeque *ac fallere nesciam institutionem;* ita vt, quae Deus esse aut fieri iusserit, quae voluerit, quae decreuerit aut promiserit, quae vi sua adornauerit, vel vere effecisse se confirmauerit, ea, remoto omni dubitationis impedimento, pro certissime atque optime factis aut adhuc perficiendis omnino habeamus. Ita vero non exacte quidem respondet isti graecorum ταπεινώσει, quam b. *Morus* causae suae apprime respondentem repererat, cuiusque mentio fit in quibusdam Christi sermonibus, velut *Matth.* 18, 4. 23, 12. *Luc.* 14, 11. 18, 14. quaeque porro commendatur christianis ab apostolis, *Iac.* 4, 10. et *Petr.* ep. I. cap. 5, v. 6. sed nec prorsus tamen ab illo vocis vsu recedit. In his enim vtriusque Apostoli effatis apertum est, qualem illi in animo habuerint submissionem, et ad quam officii christiani partem admoueri eam voluerint. Quam auctoritatem Vir celeberrimus ad rem suam proxime pertinere optime intellexit, et studiose secutus est. His enim verbis explicat rem omnem in exordio disputationis: „*Submissionem in vniuersum eo contineri, quod homo inferior, isque limitatus, sic sentit et agit erga Deum summum, omnium*

limitum circumſcriptione exemtum, vt fas eſt, inferiorem erga ſuperiorem ſe gerere, vt poſtulat neceſſitudo inferioris cum ſuperiore, ideoque verecunde, ſerio, obedienter.“ Addidit his non nihil S. V. Schlevsnervs in explicatione verbi ταπεινȣσθαι, ſuamque ſententiam hoc modo declarauit: *Vſurpari de homine, qui ſe totum a Deo pendere intelligit ac ſentit, et hoc ſenſu commotus, non ſolum ſe, ſuaque omnia voluntati ac regimini Dei permittit, ſed etiam partim animum vitamque ſuam ad legum diuinarum normam conformat, partim peccata ſua, poenitentia tactus, agnoſcit et confitetur.“* — In vtroque loco admodum videntur fauere meae ſententiae atque inſtituto, quae quisque primum ponit, et quae magis communia ſunt. Quare etiam in ipſa tractatione noſtra ab vſu vocis ταπεινȣσθαι, ſi opus eſſet, haud abſtineremus. Sed ipſa ſententia ineſt etiam in aliis formulis ac locis Scripturae.

§. 7.

Quid inprimis nobis videatur de loco 2 *Cor.* 10, 5. deque aptiſſime, ad cauſam ſuam, graui oratione exprimendam, delecta ab Apoſtolo imagine e re bellica, latente in voce αἰχμαλωτίζεσθαι, haud praetereundum eſſe exiſtimauimus. Verbum ipſum iam commemoratus recentiſſimus atque accuratiſſimus N. T. Lexicographus, ita illuſtrat, vt dicat: *in numero eorum verborum ponendum eſſe, quae Macedonum, Alexandrinorumque ingenia finxerint:“* Adhibet vir doctiſſimus auctoritatem harum rerum intelligentiſſimi viri, vix ſatis celebrandi, et honoris cauſa nominandi, Fischeri noſtri, qui ipſe illud αἰχμαλωτίζεσθαι, dictum ab Alexandrinis pro αἰχμάλωτον γίγνεσθαι, in

talium verborum numero habet, quamquam ad vnum tantum locum *Luc.* 21, 24, in *Prolusione* XXXI. *de vitiis Lexicorum N. T.* §. 2. prouocat. Cui addo equidem aeque studiosissimi exercitatissimique iudicis S. Ven. ROSENMVELLERI nostri adnotata de h. l. in *Scholiis N. T.* „*Respicit Apostolus ad eos, de quibus supra, v.* 2. *dixerat:* τὸς λογιζομένους ἡμᾶς ὡς κατὰ σάρκα περιπατοῦντας. — *Hoc castellum quasi* (ὕψωμα) *falsarum de me opinionum extollit se,* ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ, — *impedimentum est propagandae cognitionis Dei. Nam illae aduersariorum opiniones impediebant successum muneris apostolici, atque adeo ipsius doctrinae Christi. Non multum abest a ratione poetica scriptoris dictio h. l. Sicuti castellum extollit se, h. e. oppositum est hostibus, ita etiam castellum opinionum prauarum dicitur oppositum esse cognitioni Dei.* Καὶ αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ χριστοῦ. *Et in captiuitatem redigo, i. e. irritas reddo, omnes machinationes, vt Christo se subiiciant. Pergit apostolus in metaphora a bello desumta.* Νόημα, *consilium hominum et machinatio, vt supra* 2, 11. *Intelliguntur h. l. ipsae illae artes et machinationes aduersariorum Pauli, de quibus hactenus dixerat.* His stetisse virum meritissimum, ex eo colligo, quoniam nihil additum est his in *Supplementis.* Explicationi huius loci in vniuersum id tantum addo: Λογισμοὺς v. 4. et πᾶν ὕψωμα v. 5. esse per ἓν διὰ δυοῖν dicta pro πᾶν ὕψωμα λογισμῶν; vtrumque autem latere in ὀχυρώμασι. Obseruabat hoc ERNESTIVS, docens auditores, ita solere optimos quosque scriptores graecos subinde, si allegorias struxerint, allegoricis verbis addere verba propria.

Quod exemplis aliis confirmandi locus hic non eſt. Nobis maxime voces hae duae, *ὕψωμα* et *αἰχμαλωτίζειν*, curae ſunt. *Ὕψωμα* autem eſt hebraeorum מָרוֹם, quod etiam de arcibus in montibus exſtructis, aut vrbium munimentis excelſioribus dici, nunc locus *Ieremiae* 51. 53. ſatis probare videtur. Verba facit propheta de vrbe celeberrima Babel, hoc modo: כִּי תַעֲלֶה בָבֶל הַשָּׁמַיִם וְכִי תְבַצֵּר מְרוֹם עֻזָּהּ מֵאִתִּי יָבֹאוּ שֹׁדְדִים לָהּ נְאֻם־יְהוָֹה׃ *Etiamſi ad coelum vsque Babylon aſcenderet, et in locis altiſſimis ſeſe muniret, tamen immittam ei, inquit Ioua, qui eam deſtruant.* Verba ſunt immortalis memoriae etiam mihi inprimis Viri, dexterrimi atque indefeſſi in ſcriptis V. T. ſtudii, Dathii. Muros non eſſe excludendos, inprimis altiores, pinnas murorum, turres, omninoque id cogitandum eſſe, quod graeci hiſtorici ſaepe dixere *ἀκρόπολιν* et *ὕψωμα μέγιϛον*, quod occurrit, quamuis improprie dictum, apud Plvtarchvm; de his si quis certior fieri cupiat, magnumque apparatum ex graecis maxime ſcriptoribus collectum perluſtrare, et ad hunc locum Paulinum transferre voluerit, eum ablegamus ad celeberrimi Kypkii, Profeſſoris Regiomontani, *obſeruationes ſacras*, quarum opes, in hoc loco, noſtras facere videri nolumus. Sufficiat igitur, huius loci ad argumentum diſſertationis noſtrae propius adhibendi cauſa, haec tantummodo addidiſſe, vt profiteamur, eum quidem non ipſum agere de ſubmiſſione, Chriſto exhibenda; id tamen continere, quod Paulus per *τά ὅπλα τῆς ϛρατείας αὐτȣ̃, ȣ̓ σαρκικὰ, ἀλλὰ δυνατὰ τῷ Θεῷ πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων* iſtorum, vti v. 4. dixerat, contra adverſarios chriſtianae doctrinae efficere ſtuduerat; ſcilicet vt vi diuina argumentorum, quibus ipſe, praedicando euangelium Ieſu, vtebatur, vel illi ipſi acutiſſimi et acerrimi eius

impugnatores eo traherentur, vt *se submitterent* Christo eiusque institutioni et auctoritati.

§. 8.

Plura ex libris N. T. depromere, quae commendare hanc a nobis dictam submissionem videantur, nunc quidem non attinet. Multo minus esse opinamur, quod ad loca V. T. recurramus, ad huius vocis formulaeque defensionem melius gerendam, quamquam haud defuturas plane huc facientes voces aut orationis formulas in libris V. T. nobis esse, scimus. Rem ipsam vero ex istis libris confirmari multo magis posse ac debere, intelligimus; quare nec plane hunc fontem praeteribimus. Scilicet *submissio* praestanda iniungitur Christo, h. e. *Messiae,* promisso gentis Iudaicae maioribus, primisque adeo hominibus, sperando in eum, fide eundem amplectendo, et patienter exspectando, obedientiam denique ipsi, quando venisset, praestando. Procedente tempore clarius res ipsa cogitari sensim coepit; et vere christiana, siue christianis incumbens *submissio*, ex scriptis N. T. proprie et euidentissime doceri ac disci potest. — Repetamus itaque breuissimis, quae ab initio de sensu diximus, quem nos cum huius *submissionis* appellatione coniunctum volumus. Ita enim omnia facillime comprehendi posse videntur, quae submissionis notioni insunt, quibusque officium Deo Christoque debitum, et hac voce significandum, absoluitur, si dixeris, *agnoscendam esse auctoritatem, sapientiam, veritatem, omninoque ius summum, quod Deo vni competit omnibus superiori.* Quodsi in alios ita volente Deo deferatur, quales erant apostoli, vtpote legati Christi, maxime vero Iesus ipse, quem

tanquam filium audiri atque cum reuerentia summa coli Deus voluit; etiam illorum doctrina est submisse audienda; ante omnes autem colendus est Iesus, agnoscendusque pro eo, cui parendum, cui fidendum, cui illud omne tribuendum sit, quo testemur, nos prorsus ipsi, totosque submittendo nosmet tradere. Vnde porro licebit colligere, si de doctrina diuinitus nobis tradita loquamur, institutum quodlibet aut effatum, quamuis in se mirabile, insolitum, inauditum, nostraeque cogitandi rationi tantum non prorsus, ex opinione nostra, repugnans; tamen a nobis recipiendum esse in animum, atque ita cogitando assidue, iudicando verecunde, meditandum liberaliter; remotisque opinionibus praeiudicatis omnibus tractandum, vt submittere nos discamus, et in claris scripturae dictis acquiescamus. Quo fiet, vt haud facile subeat animum temerarii quid, ita vt assensum praefracte negemus ei, quod non penitus intellexisse nos, fateri cogamur; neque repugnare sustineamus audacius iusto, quum nobis aliter res habere, aliter esse iudicandum, alia quaeuis exspectanda, alia Deum decere videantur. In quibus omnibus facillime offendit ac labitur ingenium humanum, de suis viribus atque intelligendi omnia sagacitate nimis magnifice sentiens.

Hoc morbo laborabant homines isti, quibuscum Paulo disputandum erat Corinthi. Tales etiam in omnibus prouinciis atque vrbibus, celebrioribus maxime, vt Athenis, Thessalonicae, Ephesi, in Galatiae seu Gallo-graeciae oppidis, denique etiam Romae offerebant se apostolo, opponebantque ipsius in proponenda ac defendenda religione christiana adhibitis argumentis sua saltem placita, ac sophismata. Ea vero omnia ex vno isto, quem modo nominauimus, fonte

prodierunt. Enimuero agere cum istis iniquis disputatoribus aliter non poterat vir diuinitus meliora certioraque edoctus, nisi sic, vt ingenii male informati, animique innumeris erroribus occupati submissionem posceret. In quibus disputationibus acerrime institutis fieri non poterat, quin vi repellenda esset vis. Hanc diligenter diuinaque ope sustentatus fortiter adhibebat Paulus, illudque non iubebat tantum eos, sed plane cogebat facere, vt νόημα suum, quale quantumque demum esset, ipsi, si vellent, redigerent in saniorem philosophandi ordinem, *seque*, vt ipsissimis Ven. ROSENMUELLERI verbis vtar, *Christo subiicerent*. Quod si lubentes fecissent, non opus fuisset ea bellica quasi violentia ac fortitudine, qua omnia istorum munimenta circumcirca prorsus destruere, solo aequare, ipsosque refugiis omnibus destitutos, armisque exutos, captiuos deducere in Christi Domini, euangeliique sui honorem minabatur Apostolus. Si igitur in gratiam cum ipso redire, viamque ad meliorem informationem inire vellent, agnoscenda ipsis erat Euangelicae doctrinae auctoritas, et praestanda animi omniumque eius facultatum ac virtutum submissio.

§. 9.

In hac autem euangelii doctrina, quid est, cui homo se, suamque iudicandi aut eligendi, quod pro vero agnoscendum sit, vim omnem submittere debeat, nisi diuina institutio? Atque in salutis exspectandae causa redeunt omnia ad *consilium Dei*, perspicue nobis in scriptis sacris propositum, explicatum, firmisque argumentis superstructum. Huic igitur vindicare inprimis ius exigendi ab hominibus *submissionem*, si quando audierint quo spectet, quid con-

tineat, quid promittat, quid postulet, nostrum nunc est. Consilium dico de salute humani generis, eiusque per peccatum verae felicitatis spe plane priuati, non quidem in vniversum, sed quatenus reparandae illius negotium demandatum traditumque perhibetur *Iesu*, quem ipsum de hoc consilio, mandato sibi officio, dataque haec docendi luculentius auctoritate, docentem audire, nemini non aequum ac necessarium videri potest. Ipse vero ad Patrem suum, Deum, omnia refert. Quare et nos appellauimus illud, *Dei consilium*. Dubito equidem, an aliter commode exprimi atque in vnam vocem quasi colligi possint, quae partim Seruator ipse, partim discipuli eius, de ista re, in vniuersum dixere. Nam vbi Iesus in omnibus se implere ac sequi profitetur ea, quae voluisset ac iussisset Pater; *καθὼς ἐνετείλατό μοι*, ita inquit *Ioh.* 14, 31., *ὁ Πατὴρ*, *ὅτω ποιῶ*, ibi plane eadem confirmat, quae Paulus saepius, pluribusque formulis expressit. In exordio enim epistolae ad *Ephesios* multa habet de *προορισμῷ*, *προθέσει τῦ τὰ πάντα ἐνεργῦντος κατὰ τὴν βȣλὴν τῦ θελήματος αὐτῦ*; de *εὐδοκίᾳ τῦ θελήματος τȣ́τȣ*, deque *χάριτι*, ac *μυϛηρίῳ* eius consilii, et quae sunt alia similia. Quis non in his propositam esse vniuersam rationem praeparandae salutis spei, ac fundandae, concesserit? Scilicet tale aliquod institutum, tale propositum Dei, Patris, quod respiceret ad totum seruandi, liberandi ac beandi generis humani consilium modumque, deinceps atque ex additis Apostoli verbis accuratius definiendum. Sed de istis, quae ad vniuersum Dei propositum hoc pertinent, e locis Paulinis et Petrinis nihil addo, praeter haec, quae designant personam eius, per quem perficienda essent, quae Deus in commodum, aeternamque maxime felicitatem hominum perfici voluit. Atque is est *Iesus*, Dei filius.

§. 10.

Iam in hac demonſtratione arbitror ſequendam mihi maxime eſſe viam rationemque eam, quam ipſe Ieſus praeivit. Is autem intuendum praecipiebat audientibus ſe ipſum, perſonam, ſiue hominem, quem qualemue ante oculos habebant. Hoc modo orditur aliquando demonſtrationem aut, ſi malueris, apologiam auctoritatis, muneris et doctrinae ſuae, in colloquio cum Iudaeis, eorumque tum maxime principibus, peculiari quadam et memorabili ratione et reſponſione ad quaeſtionem ipſi propoſitam: σὺ τίς ἐι; *Io.* 8, 25. his verbis: τὴν ἀρχὴν, ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Quaſi dicat: Intueamini modo me, qui hic, qualisque iam coram vobis compareo.

Ego vero ſi altius inſtituam repetere reſponſionem ad quaeſtionem hanc: Quis eſt ille, cui nos ſubmittere primum noſmet debemus? vereor, vt reperiam, quae humana tenuitas ferre, aut quae perſpicue ſatis explicari aliis poſſint. Bene quidem memini, quomodo proponi, quibusque verbis exprimi a Theologis, antiquioribus inprimis, res conſueuerit. Redeunt enim in explicanda eadem, ad aeternam Filii Dei naturam, conſiliumque Patris ita ſolent deſcribere atque illuſtrare quodammodo, vt hunc Filium diuinum curare ac perficere redemtionem humani generis, peccato corrupti, priſtinaque dignitate atque ſanctitate plane priuati, omnique felicitatis aeternae ſpe prorſus deſtituti, voluiſſe Patrem ac iuſſiſſe dicant. Videtur autem mihi Ieſus ipſe melius conſuluiſſe infantiae noſtrae, vt facilius, quodammodo ſaltem, humani ingenii tenuitas capere poſſet σοφίαν iſtam, (vt Paulina formula vtar ex 1 *Cor.* 2, 7.) ἐν μυςηρίῳ tanto; adhibitis verbis, proponendique ratione magis perſpicua et ad captum noſtrum accommodata. Pertinet

huc locus *Io.* 17, 5. vbi dicit ipſe in precibus ad patrem fuſis: *δόξασόν με σὺ, πάτερ, παρὰ σεαυτὸν, τῇ δόξῃ, ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, παρὰ σοί.* In his verbis interpretandis firmiter tenendam eſſe arbitror ſententiam de diuina natura Chriſti, quae defenditur, quantum ſcio, a Theologis noſtrae eccleſiae tantum non omnibus. Ablegare hic poſſum lectores ad b. Mori *Recitationes in Ioannis euangelium* nuper a *Dindorſio* V. M. R. editas; in quibus apertum eſt, viri integerrimi ſententiam hanc eſſe, Ieſum de ſe loqui tanquam aeterno filio patris. Dedit enim paraphraſin iſtorum verborum hanc: *Reſtitue mihi, Pater, celſitudinem illam,* quam *iam ante mundum conditum habui, et ad tempus depoſui.*" — Hic igitur non eſt *decretus* modo *honor,* atque is multo minus *in doctrina chriſtiana* tantum *vbique ſpargenda* ponendus; ſed eſſentialis ac neceſſarius, naturae diuinae proprius honor. Iſta enim ratione Io. Crellivs in libris *de vno Deo Patre,* lib. I. cap. 18. rem explicat. Non inutile fuerit vti nobis videtur, ſi h. l. interpoſuerimus quaedam, quae facere poſſint ad hanc Crellii, clariſſimi doctrinae de diuinitate Ieſu Chriſti aduerſarii ex affeclis Socini vtriusque, ſententiam illuſtrandam. Coepit enim etiam hoc ſtudium legendorum authenticorum ac praecipuorum librorum, *cuiusuis ſectae Theologorum,* qui *contra* puriorem euangelii doctrinam, quam nos tenuiſſe prae nobis recte ferimus, ſcripſerunt, miſere negligi; cum contra ſuperioris ſeculi Theologi eccleſiae Lutherano-euangelicae, fere toti, vt ita dicam, in iſtis ſcriptis habitarent. Verum nec plane deſunt noſtra quoque aetate Theologi, priuato ſtudio indefeſſo magis a iuuentute adſueti, qui bene ſciunt, iſtorum quoque aduerſariorum religionis euangelicae ſcripta in vſum veritatis et ſuum adhibere. Quem quidem vſum ſe

nominatim in exegeticis quorundam Socinianorum ſcriptis, eorumque literas ſacras interpretandi ſubtilitate reperiſſe, nonnulli de noſtris Theologis, grati ſunt profeſſi. In laudato igitur tractatu iſto *de vno Deo, Patre*, primi libri ſectione ſecunda, oſtendere Crellius annititur: Chriſtum non eſſe Deum illum, vt addit, ſupremum, ſed ſolum Patrem. Ibi cap. 18. p. 189. ſq. exhibet argumentum, ex eo ductum, quod omnia Chriſto a Patre ſint data; vnde ſuo modo colligit, non poſſe Chriſtum eſſe ſummum Deum. In qua demonſtratione vtitur inprimis Euangelio Ioannis, et ex eo, inter alia, verſu iſto quinto capitis decimi ſeptimi. Verbum δοξάζειν nihil aliud eſſe, ſumit, niſi *claritatem dare*. Cui datur, ſic porro ſubſumit, ei non eſt per ſe, natura ſua, propria. Ita ſane eſt v. 22. et 24. ad quos ipſe prouocat. Enimuero noſtri interpretes haec de humana Chriſti natura, et Θεανθρώπῳ dici contendunt. Quod accipit quidem quodammodo Crellius; ſed perſtat in eo, eſſe illud, quod Chriſtus a Patre petat, aliquid, quod tanquam praemium praeſtiti operis, ſibi a Patre commiſſi, recipiat: nempe tale quid, quod apud homines factum ſit, et coram iis comparuerit. Atqui hoc ex ipſius ſententia eſſet, doctrinae Chriſti vis atque fructus. Haec addita ſunt in *defenſione dicti argumenti*, p. 202 et 3. refutata vero prolixe a *Calouio* in *Anticrellio*. Cui quidem refutationi adiiciendum mihi quidem videtur eſſe hoc, doctrinae Chriſti vim ſatis iam tum fuiſſe probatam, ac indefeſſo eius ſtudio ita demonſtratam propagatamque, vt huius ſtudii praemium non ſibi demum flagitare in his terris opus eſſet, ſed exſpectaret potius tanquam homo, poſt reditum ad Patrem, addito hoc, δόξασόν με τῇ δόξῃ, ᾗ εἶχον παρὰ σοὶ πρὸ τοῦ

τὸν κόσμον εἶναι. In quo additamento cardo diſputationis vertitur. Enimuero haec propagatio doctrinae Chriſti profecto non erat πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι. Etenim hic locum plane habere non poteſt explicandi ratio Crellii aliorumque Socinianorum, ſi euinci poteſt, quod nobis profecto ita videtur, apud Ioannem παρά σοι idem prorſus eſſe ac ſuperius παρὰ σεαυτῷ. Iam vero hoc nullo modo intelligi poteſt de *decreto* ſed de *actu*, ſiue de *re in facto poſita*. Eſt is *perpetuus maieſtatis diuinae vſus*, quem Filius ab aeterno habuit communem cum Patre. Quare fruſtra ſe torquere videtur Crellivs, dum poſterius tantum παρά σοι, contra nos vrget, quaſi nihil ſit aliud, niſi, *in animo et decreto tuo deſtinaſti mihi illam gloriam.* — Nolo autem diutius immorari in hac opinione refutanda, quamquam peculiaria quaedam in promtu ſunt ex *Reſponſione Fauſti Socini* ad libellum Iacobi *Wuieri* Poloni, e ſocietate Ieſu, vbi auctori cum *Bellarmino* eſt diſputatio, cuius argumenta, omnemque diſputandi methodum nos haud omnino noſtram faciemus. Vnum tamen praetermittere plane non poſſum, quod quaeſtionem ex iſto Ioanneo loco ortam, egregie illuſtrat, noſtramque ſententiam confirmat. Scilicet b. Michaelis in annotationibus ad h. l. germanico idiomate editis, conferri vult verba iſta Ioannis, cum formula Paulina de Chriſto ad *Philippenſes* 2, v. 6. τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Recte ſane, atque aptiſſime ad rem. Quare etiam nihil aduerſtis ipſam interpretationem illuſtris Michaelis excipere potuit ven. Schvlzivs, qui criſin aliquam oppoſuit ediditque in explicationes Michaelis, ſed tantummodo inconſtantiae accuſauit virum veritatis amantiſſimum, in cuius ſuſpicionem quomodo venerit vir eruditiſſimus, paullo poſt dicendi dabitur opportunitas.

§. 11.

Quae hactenus dicta sunt, inprimis spectarunt locos Ioanneos, celsioremque naturam eius, in quo spem salutis vniuersi humani generis fundari decreuerat consilium Dei, ab aeterno conceptum. Is posteaquam apparuerat inter homines, humanaque incedebat forma atque conditione, (ἐν μορφῇ ἀνθρώπε, Phil. 2, 7. μορφὴν δούλε λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος cet.) humano item viuere atque agere coeperat more, sanctissimo illo tamen, non plane, vt reliquorum hominum, peccati labe laborantium, mos esse solet, ac doctor humani generis euaserat, ceteris omnino omnibus, ante et post ipsum, longe illustrior et vere diuinus; ipse disertis verbis poposcit ab omnibus, tum maxime viuentibus, *submissionem.* Sed qualem? Non eiusmodi aliquam, quae pertinere videretur ad imperium aut dominationem, similem regimini principum huius terrae, h. e. humanam; sed talem, quae tota esset sublimioris naturae atque consilii, quae ad animorum salutem spectaret, qualem nimirum in animo habuerat Deus, dum proposuerat hominibus atque nunciari curauerat felicitatis excellentioris, immo perfectissimae ac sempiternae exspectationem. Quomodo hoc loquendo agendoque perfecerit Iesus, a Maria natus, interque Iudaeos ortus, natione et maiorum communi serie, religione, educationis doctrinaeque ratione, moribus denique ac vitae genere a iuuentute simillimus Abrahamiticae familiae, eidemque coniunctissimus ac notissimus; id sigillatim recensere, haud alienum erit a proposito.

In vniuersum *submissionem* Iesum ipsum sibi postulasse, docebimus euidentissimis, nisi me omnia fallunt, locis. Primus locus est, *Io.* 1, 40. vbi, ad alloquium duorum Ioan-

nis, Zachariae filii, discipulorum, ab ipso suo magistro ad Iesum ablegatorum, nominatim *Andreae*, alterius vero non nominatim v. 41, commemorati, (hunc autem verisimile est alium non fuisse, nisi *Ioannem* euangelii scriptorem ipsum, cui scimus in more fuisse, vt modeste nomen suum reticeret, veluti in confesso est de formulis *cap.* 20, 2. 19, 26. 35. 18, 15.) haec pauca regerit Iesus: Ἔρχεσθε καὶ ἴδετε (e lectione alia: ὄψεσθε.) Quae quamuis proxime ad domicilium, vbi degebat Dominus, spectasse videantur, quorsumque recipere se statim volebat; tamen subesse his verbis, ac latuisse in ista inuitatione cupidorum doctrinae suae iuuenum, consilium putem eos plura docendi. Quod nisi ita vere factum fuisset, quomodo Andreas mox Petrum, fratrem, certum facere potuisset, *v.* 42, Iesum hunc Nazarenum procul dubio esse diu exspectatum ab omnibus Messiam, his verbis: εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν? Haec omnino, et quae deinceps, repetito atque continuato colloquio Domini cum istis, accedentibus sensim pluribus e schola Ioannis vulgo dicti baptistae, sunt addita, eo redibant omnia, vt sibi submittere se iussisse eosdem dicendus sit Iesus. Atque in illo ἔρχεσθε καὶ ἴδετε, inest illustrissimum exemplum eius rationis ac methodi, quam secutus est Iesus, ab initio praesertim muneris, in alliciendo homines quoscunque ad audiendam doctrinam suam, eamque modeste examinandam, (ἐρευνᾶτε — *Io.* 5, 39,) atque sobrie etiam de illa iudicandum. Neque mirum est, tali methodo vti, Christo visum fuisse aptissimum, quum nemo tum, sine singulari Dei aut Spiritus sancti instructione, quali v. c. ornabatur Simeon, *Luc.* 2, 26. aut vlteriori institutione Christi ipsius, vel etiam miraculorum ab ipso patratorum adiumento ac testimonio, in illo statim potuisset agnoscere Messiam, Dei filium, aut

ſublimiorem τȣ̃ λόγȣ naturam. Hoc ne potuit quidem ipse *Ioannes*, Chriſti praecurſor, qui ſponte profitetur, Io. I, 31. κἀγὼ ȣ̓κ ᾔδειν αὐτόν. Ad quem locum *Ioachimus Camerarius* in *notatione figurarum ſermonis in libris quatuor Euangeliorum*, p. m. 228. ſq. (ed. Lipſ. d. a. 1512. 4.) aptiſſime ad cauſam meam haec habet: Ουκ ᾔδειν αὐτόν· *Nimirum eum, quem poſtea cognoui, filium Dei, atque Meſſiam. Et* τὰ ἀποκαλυπτόμενα τότε ȣ̓κ ᾔδειν πρότερον, *inquit Theophylactus: Non noueram antea ea, quae tunc declarabantur mihi.* — Addo, quae ad paullo ante a me dicta quodammodo pertinere videntur, ex iſtis Camerarii notis; quoniam hic liber praeſtantiſſimus et ipſe, cum antiquioribus multis cedere dudum coactus eſt nouiſſimorum eorumque ſubtilioris ſapientiae libellorum ſcilicet fertiliorum multitudini; ita vt bonis iuuenibus theologiam diſcendi cupidis vel nomine vix innoteſcere ſoleat. *De reſpectu autem Ieſu,* ſcribit Camerarius, *ad requirentes ſe, adſcripſit praeclaram ſententiam Chryſoſtomus hanc:* Επιςρέφεται χρησίμως πρὸς τοὺς ἀκολȣθοῦντας ὁ Κύριος, ἵνα ἔργῳ μάθοις τί μελῳδούμενον· ἐξεζήτασα τὸν κύριον, καὶ προσέσχε μοι· *Convertit ſe vtiliter ad ſequentes dominus, vt re ipſa perdiſcas carminis illius,* (ſcilicet Dauidici,) *modos: Exquiſivi Dominum, et ipſe attendit ad me.* Alludit nimirum Chryſoſtomus ad verba textus Ioannei haec, vbi dicebat Andreas: εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, ὅ ἐςι μεθερμηνευόμενον, χριςός. *Quod nomen,* ſic pergit Chryſoſtomus, *ſcilicet Meſſiae eſt, ſi quis interpretetur, Chriſtus, quo ſignificatur vnctus, et* κατ᾽ ἐξοχὴν *Rex ſecundum ritum populi Iudaici.* — Sed ſentio, rem ſponte deferri ad rationem, qua vſus eſt Chriſtus in vindicanda ſibi ſubmiſſione audientium ipſum, accuratius deſcribendam.

§. 12.

Enimuero vindicauit ſibi Ieſus hoc ius, poſtulandi ab auditoribus ſuis, vt ſubmitterent ſe ipſi *docenti*, tanquam doctor diuinitus genti Iudaeorum miſſus. Hoc eſt, quod innuit Moſes, formula ſolemni: ὅτι προφήτην ὑμῖν ἀναςήσει κύριος cet. Quo ſenſu vt notum eſt τὸ ἀναςῆσαι a Petro inprimis vſurpatur *Act.* 3, 26. coll. 10, 37. Ipſe vero locus principalis et omnino claſſicus, *Deut.* 18, 15. 18. repetitus eſt a Petro *Act.* 3, 22. 7, 37. In confeſſo vtique eſt, Ieſum non alio nomine aut forma ac dignitate inter populares ſuos cognitum celebratumque ab initio fuiſſe, niſi conſueta appellatione admodum honorifica: Ῥαββί· *Io.* 1, 39. Quod tamen eo magis et ipſum mirandum eſt, ipſi conceſſum fuiſſe nomen honoris, annuentibus inprimis iis, qui in eadem dignitate tum viuerent, atque conſentiente populo vniuerſo, in omnibus terrae Palaeſtinae tractibus, in ſynagogis cum maioribus tum minoribus; quo certius videtur, Ieſum in nulla ſchola publica educatum ac inſtructum, nulli addictum celebriori gentis doctori fuiſſe, qualem paullo poſt ſaltem Rabbi Gamalielem extitiſſe nouimus ac floruiſſe, cui maxime adſedit Paulus. Vere igitur, at profecto inexſpectata profeſſionis liberalitate, animique ingenuitate palam teſtabatur Nicodemus de communi propemodum opinione ſapientiorum nationis, immo Synogogae magnae, de Ieſu, recens celebrato electore, *Io.* 3, 2. Ῥαββί, οἴδαμεν, ὅτι ἀπὸ Θεȣ̃ ἐλήλυθας διδάσκαλος cet. Illud ἀπὸ Θεȣ̃, vt mihi videtur, reſpicit ad incognitam prorſus coaeuis rationem, qua ad tantam rerum diuinarum cognitionem, docendique facultatem exercitationemue peruenerit Ieſus, habitus is quidem vt plurimum pro Ioſephi Nazareni filio, illiusque vitae generi ad-

ſueto; igitur conferri recte poterit cum formula ἄνω ſiue ἄνωθεν· *Io.* 8, 23. et 3, 31. — Iam iſtud teſtimonium ſufficiebat tum Domino. Plura enim atque rectiora tum nec poterat ab homine tali, qualis Nicodemus erat, exſpectare, nec volebat. Ea enim fuit Seruator optimus humanitate, eaque vſus eſt indulgentia atque demiſſione, vt facillime acquieſceret in reſponſionibus tironum, quamuis inſufficientibus, modo non veritati aduerſis. Immo ipſe reticendo, quae capere nondum poſſet audientium tenuitas atque infantia, veluti coram ipſis ſuis paullo poſt diſcipulis, *Io,* 16, 12, h. e. omiſſa ad tempus altioris originis ſuae, ipſiusque doctrinae, quam proponere deinceps ſatius ducebat, mentione, accipiebat, quae dabant, omninoque dare poterant. De qua ſcilicet καταβάσει plura mox in medium proferendi erit opportunitas.

§. 13.

Reuocandum nimirum eſt in memoriam, Ieſum, per totum vitae curſum, in proponenda diuina doctrina, παιδείας τρόπῳ vſum eſſe admodum manſueto, atque accommodato ſapientiſſime ad ingeniorum audientium quorumcunque vel tenuitatem, vel praeſtantiorem ſubinde facultatem. Igitur aperta primum, ſi ita loqui fas eſt, ſchola, non plus voluit quam hoc, vt conſiderarent ipſum homines ad audiendum conuocati, praeberentque ipſi aures, tanquam homini veritatis amanti, verumque dicenti. Haec vere eſt illa συμπεριφορὰ et οἰκονομία, de qua tam multa, in vtramque partem diſputata ſunt noſtris temporibus; vtiliſſima ea quidem, vt mihi videtur, ad ſoluendas difficultates plurimas in ſermonibus Chriſti ipſius, atque etiam in apoſtolorum ſcriptis; ſed eadem tamen caute ac ſobrie adhibenda.

Verum nos hoc loco non ſubtiliorem hanc de ſermonibus Ieſu iudicandi rationem in auxilium vocandam putauimus; ſed ſimpliciori formula vti maluimus hac: Ieſum voluiſſe ſe ab initio audiri, vt hominem, de cuius inſtitutione ac doctrina cuique liceret iudicare, quomodo tandem pro ingenii ratione poſſet, liberali tamen atque aequo modo. Sic egit primum in colloquio cum *Nicodemo*, Io. 3. capite; porro cum *muliere* accedente ad ipſum ex vrbe Samaritana Συχὰρ ſiue Σιχάρ, *Io.* 4. Item, in ſermone cum *Philippo* diſcipulo *Io.* 14, 9. Denique in diſputatione cum Iudaeorum doctoribus, *Io.* 8. capite. Quibus forte etiam addi poſſent alia, ſi tali velut deductione, vt ſcholae vocabulo vtar, opus eſſet. Sed quoniam alia dicenda reſtant plura, iſtaque exempla adeo ſunt nota, vt ad diſputandum ſponte praebeant materiam, hoc loco carere vlteriori illuſtratione eorum lectores facillime poſſe arbitror.

§. 14.

Duo adhuc addam, quae rem vniuerſam magis illuſtrare poſſe videantur, et euidentiorem reddere. Scilicet in inſtituendis, aut praeparandis primum hominibus ad audiendos ſermones ſuos, praeſtandumque ipſis aſſenſum ſapientiſſime verſatum eſſe Ieſum, iam dictum a nobis eſt paullo ante. Factum autem eſt ſic, vt omnes, qui ante ipſum Iudaeos docuerant, iſta ſuauiſſima συγκαταβάσει longiſſime poſt ſe relinquerent; ſi quidem tam euidentia eiusdem exempla exceptis apoſtolorum ſcriptis, qui ab illa didicerant hanc docendi rationem, in aliis fere nusquam reperiuntur. Vulgarem certe docendi rationem apud doctores Iudaicos, alioſque ſcriptores humanos, maxime philoſophos graecos et latinos, habuiſſe aliquid duri atque ob-

ſcuritatis conſulto adhibitae facile animaduerti poteſt in lectione librorum eorundem, cuius fundamentum, quod Iudaeos attinet, in ipſius populi ingenio, cogitandique ratione quaerendum eſſe, vix dubitauerim. Eam vero ita euitabat non modo ac fugiebat Ieſus, verum etiam mutabat et conuertebat in nouam prorſus, eamque admodum commendabilem facilitatem ac lenitatem, vt vel ab hac parte, ſi res diligentius exploretur atque comparando illuſtretur, *τρόπον παιδείας*, vel ipſam loquendi rationem, tanquam prudentiſſime delectam, admirari vtique ſatis vix poſſis. Enimuero non leuis profecto res erat, ea aetate ad ingenium populi, multis modis a ſuis *γραμματέυσι* ac *πρεσβυτέροις* et *νομοδιδασκάλοις* neglecti, variisque exterorum opinionibus, immo erroribus turbati, ita ſe accommodare, vt capere primum atque intelligere, quae dicebantur meliora, poſſent vel rudiores quique ex illo; verum etiam ad aſſenſum praeſtandum allicerentur. Quis autem felicius hoc, breui tempore, annis vix tribus et dimidio, per vniuerſam terram Iudaicam, adſecutus eſt ſic, vt a ſeruatore noſtro inter omnes effectum eſſe conſtat? Rapiebantur enim quaſi homines ad aſſenſum, ac leniſſimo modo cogebantur ad profeſſionem, qualis eſt in illo loco *Matth.* 7, 29. coll. *Luc.* 4, 32. Ieſum docere *ὡς ἐξουσίαν ἔχοντα, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς*. Digniſſima, vt mihi videtur, erat quaeſtio, quae ſatis iam his noſtris temporibus tractata eſt, cuiusque multo magis perſpicua illuſtratio atque explicatio, quam qualis olim Patrum de ſeculis prioribus eccleſiae fuerat, exeunti ſeculo noſtro ſeruata fuiſſe videtur, ſed nondum ad finem perducta. Neque vereor equidem, ne vix vnum aut alterum ex iſtis ſcriptis, quibus illuſtratum hoc tempore fuit hoc argumentum, commemorari poſſit, quod plane me

praeteriisse legendo, fatendum sit. Rem ipsam enim, si reverenter satis, ac sine praeiudicata opinione, tractetur, non posse in honorem eximium Domini, doctoris humani generis praestantissimi, non verti, certissime mihi persuadeo.

§. 15.

Latius videtur patere alterum, quod addere, in animo habebam. Nimirum adhibendam esse in hac quaestione de methodo docendi, vsurpata a Iesu, quemadmodum etiam in vniuersa de illo doctrina, omnino atque diligentissime *historiam vitae* ipsius arbitror. Ea vero, cum coepisset a multis parum reuerenter tractari, parumque abesset, quin ab vniuerso religionis studio remouenda atque excludenda putaretur; non praetermittere huius quoque argumenti mentionem, in hac disputatione nostra, de submissione Iesu docenti debita, voluimus. Disquirendum enim quam maxime esse videtur, quomodo Iesus non modo annunciauerit commissum sibi a Patre officium grauissimum, docendi vniuersam gentem Iudaicam, immo totum genus humanum, nationesque terrae quascunque ac aeuo quouis secuturo; verum etiam, quomodo expleuerit istud officium, auctoritatemque praedictam, re ipsa, h. e. agendo, perficiendo munere sibi vindicauerit.

Munitam nempe fuisse ipsi viam, inde ab antiquissimis temporibus, vetus gentis iudaicae historia probat. Promissus erat Abrahami posteris, Mose iamiam huius Dei promissi ac consilii interprete, doctor atque propheta Mosi similis, stato tempore Mosen secuturus, Deut. 18, 18. isque non modo huic auctoritate atque sapientia docendi par, verum vi atque praestantia doctrinae, immo latius patente fama at-

que auctoritate longe superior et excellentior. Huic diu ante posito velut fundamento superstruxit Iesus suae doctrinae ac muneris auctoritatem. Affirmat enim diserte, Mosen de se scripsisse, *Io.* 5, 46. immo ad vniuersae scripturae V. T. de se testimonium prouocat, *Io.* 5, 39. maxime cum respectu ad institutionem de rebus ad salutem hominum pertinentibus, i. e. religionem. Quod passim per Prophetarum reliquorum vaticinia confirmat. Enimuero illa ipsa aetate, Mosis scilicet et Prophetarum temporibus, locum habuisse tale aliquod *submissionis* genus, qua pii omnes religionis tum patriarchalis, tum multo magis posteriorum seculorum, cultores, in animo quasi tenere semper debuerint hoc, exspectandum esse tempus, quo Deus per Messiam populum suum plura et clariora sit docturus, quis negauerit, cum euidentissima in promtu sint praedicta, et ad populum tardioris satis indolis atque repugnantem exhortationes. Quae si pluribus confirmare testimoniis sustineremus, nimium excedere instituti nostri limites videremur.

§. 16.

Etenim ad N. T. tempora, ipsiusque Christi aeuum proprie pertinent, quae de submissione hac nitente antiquioris aetatis praeparatione diuinitus facta addidimus. Atque huius temporis historia, quae tota fere continetur in narratione de Iesu Christo, eiusque dictis factisque, ita nobis ante oculos ponit doctrinae I. C. progressum, eiusque apud multos, immo ingenuos atque aurem ipsi facilem praebentes quotidie plures, auctoritatem efficaciamque, vt colligere inde facillime possimus, quid nobis sit faciendum, et quo nos animo excipere doctrinam eius debeamus. Clarissima sunt loca: *Io.* 8, 47. 7, 16. 17. 10, 25 sq. *Matth.* 7, 24. etc.

Scilicet audienda est sine praeiudicio doctrina Iesu, examinanda cogitando de sensu dictorum, eique submittendus animus, etiam si perspicua illico nondum sint omnia, pergendum est attendendo atque diligenter recordando, vt plura nobis sensim fiant clariora vsuque aut aliorum dictorum accessu certiora. Ita enim de omnibus, quae continet consilium Patris de ipso, certius nobis mox constabit.

§. 17.

Atque illud Patris consilium, quod doctrina sua inprimis illustrauit, omninoque notum vere fecit hominibus Iesus, his duobus quasi capitibus, ad Iesum ipsum pertinentibus continetur, quae duplici vocabulo summatim exprimere, in fronte libelli, studuimus: *Christum* ac *Dominum* esse a Patre constitutum Iesum. Eo enim, vt nobis videtur, doctrina omnis de Christo, salutis auctore, redit; et haec duo sunt, quibus submittere, agnoscendo, assentiendo, et in vsum nostrum conuertendo animum debemus. Quae cum adhuc accuratius exponenda nobis restent, ratio primum videtur mihi reddenda esse, quare subiectum in hac disputatione, adhibitaque in ipsa eius inscriptione formula, posuerim *Iesum*. Sed tamen quaedam iam (§. 10.) sunt praemonita. In eo enim tenere studui, atque tenendam omnino esse arbitror viam, quam ingressus est Petrus. Is vero in prima statim oratione, quam habuit ad Iudaeos, in templi Hierosolymitani oecis congregatos, *Actor.* 2, 36. hunc quasi ordinem vel ipsorum, quo appellandus esset is, quem defendere, et audientibus omnibus nunc demum recte cognitum facere apud animum constituerat, nominum delegit atque secutus est, vt communi, cui omnes vsu adsueti erant, et familiari, si ita dicere licuerit, appellatione eum

insigniret. Eo enim nomine, addito plerumque vrbis, in qua educatus fuerat, mentione, omnibus innotuerat tum Mariae filius, tanta per aliquot annos doctrinae factorumque celebritate conspicuus factus, nuperrime vero supplicii crudelissimi fama notissimus. Ad hunc vt conuerteret omnium oculos, operam dabat Petrus; atque vt recte de isto et convenienter vniuerso consilio diuino, atque ita iudicarent, vt nihil, quod in officio ac opere Messiae cogitandum, exspectandumue ab ipso esset, praetermitteretur: hoc duplici nomine rem omnem expressit, *Christum* ac *Dominum* esse hunc Iesum. Haec enim sunt verba Petri, d. l. Ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω πᾶς οἶκος Ἰσραὴλ, ὅτι καὶ Κύριον καὶ χριςὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐςαυρώσατε. Nos ita huic Petrinae orationi superstruere sententiae nostrae explicationem et probationem consultum duximus, vt nihil quidquam addere, necesse videri facile posset.

Fateor quidem, plane singularem, atque in nullo alio N. T. loco obuiam esse similem nominum coniunctionem; verum eo magis hanc esse dignam animaduersione et omnino notabilem, persuasum mihi certissime habeo. Propior et arctior vtriusque appellationis copulatio, centies in Apostolorum scriptis occurrit, vt Ἰησοῦς κύριος, Κύριος Ἰησοῦς χριςὸς, Κύριος ἡμῶν I. X. (et *similiter haec*) coniunguntur; sed vis haud dubie atque ἐνέργεια in duorum istorum copulatione inesse mihi videtur, τὸν Ἰησοῦν fecit Deus Κύριον καὶ χριςὸν. Inuersus in tractatione vlteriori horum nominum ordo rem haud mutabit.

§. 18.

Iam, si de appellatione τοῦ χριςοῦ primum dicendum est, in ea sum sententia, vt existimem sumendum esse hoc no-

men omnino de *regia* dignitate atque auctoritate. Haec interpretatio nominis, per se tam late patentis, haud dubie aptissima est locis omnibus scripturae, in quibus occurrit; inprimis etiam vsui hebraicae formulae מְשִׁיחַ יְהוָֹה. In hac autem respici plerumque *regiam* dignitatem atque potestatem, negari nullo modo potest. Velim hic in auxilium vocari, quae Excell. Fischervs notauit de hac τοῦ χριςοῦ appellatione, in Prolus. XIV. de vitiis Lex. N. T. §. 5. iunctim typis repetitis, p. 353. sq. Ex ipsis veteris ecclesiae christianae doctoribus fuerunt, qui ita iudicarent de appellatione τοῦ χριςοῦ, ex quibus *Lactantium* nominauit Fischervs, vt de Iesu seruatore vocabulum hoc *potestatis* ac *regni* esse confirmarent; obseruante Schlevsnero in Lexico N. T. Quae quamquam sunt verissime dicta, tamen ne ipse quidem eruditissimus Fischervs, reliquas officii Messiani partes plane ab hoc nomine, aut in eius vsu, exclusas esse voluit. Igitur, si dicimus, consilium diuinum de Iesu, humani generis redemtore, hoc nobis iniungere, vt agnoscamus Iesum esse τὸν χριςὸν, eique nos tanquam tali submittamus; omnino cogitatione colligi atque comprehendi cupimus vniuersum muneris Messiani ambitum, omnesque partes illas operis tanti, quas solemus alioquin *prophetae* ac *summi Sacerdotis* officiorum nomine insignire, fideique nostrae proponi tanquam obiectum, quod prehendere atque tenere firmiter debeamus. Hoc enim respectu Iesus est, vt ait Paulus, 1 Tim. 2, 5. εἷς μεσίτης Θεȣ̃ καὶ ἀνθρώπων, cui debetur submissio, quoniam sine eo accedere ad Patrem, *Io.* 14, 6. aut frui aliquando eius amore consummatissimo haud valemus. Hac eadem sententia idem is est, ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε, καὶ ἀπέςειλεν, hoc scilicet consilio, εἰς τὸν κόσμον, *Io.* 10, 36. Verbo, redeunt huc omnia, quae de Christo, αἰτίῳ

σωτηρίας αἰωνίȣ, ab apoſtolis celebrantur; veluti Paulus hoc diſertis verbis, additaque ipſa ſubmiſſionis mentione, hac formula, quaſi fundamenti loco poſuit, τοῖς ὑπακȣ́ȣσιν αὐτῷ; quod pariter ineſt luculentiſſime verbis Petri, *Act.* 4, 12. καὶ ȣ̓κ ἔϛιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία· οὔτε γὰρ ὄνομά ἐϛιν ἕτερον, ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, τὸ δεδομένον ἐν ἀνθρώποις, ἐν ᾧ δεῖ σωθῆναι ἡμᾶς. Quomodo igitur non rectiſſime hoc exigi poſſit a chriſtianis ad vnum omnibus, ſalutis ſpem animo concipientibus ac fouentibus, vt Ieſu, (vt conſulto Paulus d. l. 1. *Tim.* 2, 5. addit, quaſi viam ad hanc ſpem fidemque leuando: ἄνθρωπος χριϛὸς ἰησοῦς·) tanquam *Chriſto*, ἑνὶ μεσίτῃ, ſemet ſponte totosque ſubmittant.

§. 19.

Accedit *alterum* quod contendimus, eodem modo hominem chriſtianum quemque ſe ſubmittere debere Ieſu, *Domino.* Ratio eſt in altera propoſitionis illius *Petrinae* parte: Deum, inquiente Apoſtolo, conſtituiſſe Ieſum, filium ſuum, Κύριον, (*Act.* 2, 36.) Addenda ſane hic ſunt verba eiuſdem Petri *Act.* 10, 36. οὗτος (Ἰησοῦς χριϛός) ἐϛι πάντων Κύριος. Quamquam enim in hac formula explicanda, quod non negauerim, repetenda ſunt iſta omnia, quae de Ieſu, tanquam χριϛῷ iam commemoraui, nempe hoc vere conſilio, vt dominii illius fundamentum ponatur in praeſtandis, ſiue potius omnino ac perfectiſſime praeſtitis iis omnibus, (nam propterea etiam *Ebr.* 5, 9. additur τὸ τελειωθείς, quod occurrit etiam aliis in locis,) quae *ius dominii* in totum genus humanum ipſi conciliarunt ac vindicarunt; puta ἀπολύτρωσιν, καθαρισμὸν, et quae ſunt reliqua, quae ad recuperandae ſalutis noſtrae opus grauiſſimum referri ſolent; tamen ſuperſtructa his deinceps redemtoris noſtri dignitas, ſcilicet poſ-

fessionis ius, felicitatis recuperatae, nunciandae, promittendae atque impertiendae facultas ac praerogatiua, propria quoque appellatione indigere videbatur. Atque haec est denominatio τοῦ Κυρίȣ. Rursus monendum hic esse videtur, subiectum huius alterius partis assertionis nostrae, ex meo sensu, constituendum esse *Iesum;* eumque cogitandum esse vt vnum aliquem e familia communi hominum. Hunc voluisse Dei sapientissimi ac benignissimi consilium, vt esset vniuersi istius generis caput, curator, imperans, sospitator, rex ac defensor, denique etiam iudex, atque fide ac virtute satis probatorum, constantium, aduersaque omnia vincentium *Apoc.* 2 et 3. atque 21, 7. in aeternum remunerator. Id quod multis scripturae locis doceri clarissime potest. Sunt isti omnes, quos ille sensu excellentiore *suos* nominatos voluit, *Io.* 10, 14. coll. 2. *Tim.* 2, 19.

§. 20.

Vindicauit sibi hoc ius, atque similitudine siue potius imagine suauissima adhibita illustrauit ipse seruator optimus inprimis capite 10. *Ioannei* euangelii, dum se appellauit τὸν ποιμένα προβάτων, adiecto quidem praecipuo aliquo excellentiae, maiorisque dignitatis signo, quod inest in hoc, quod sit ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, οὗ εἰσὶ τὰ πρόβατα ἴδια, v. 11. 12. commemorata simul huius possessionis causa, ὅτι ἐγὼ, inquit v. 17. τίθημι τὴν ψυχήν μȣ ὑπὲρ τῶν προβάτων, v. 11. Altius quidem rem repetere videtur *Ioannes*, quod attinet ad ius huius dominii, exhibens testimonium his verbis, *cap.* 1. euangelii, *v.* 10 seq. εἰς τὰ ἴδια ἦλθε. Ita enim de Messia inde ab antiquissimo tempore praedictum erat per Prophetas, Deum Filium suum constituisse regem ac dominum omnium, huius potissimum terrae hominum populorum-

que, omnia ipſi ſubdidiſſe. Idem vero etiam eſt, quod Paulus in mente habuit, quum orationem de Ieſu, vno omnium domino et ſalutis auctore, ſic inciperet. *Ebr.* 1, 2. ἐν υἱῷ, ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων, (ὁ Θεὸς) φέροντι τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτȣ͂, *v.* 3. Inſtar omnium denique eſt eiuſdem *Pauli* locus, *Philipp.* 2, 9 ſq. Ἀυτὸν ὁ Θεὸς ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα — ὅτι κύριος Ἰησȣ͂ς χριςὸς, εἰς δόξαν Θεȣ͂ πατρός. In quo, ſi quis nollet agnoſcere, ab ipſo Deo ſummo hominibus ad vnum omnibus iniunctum eſſe officium ſubmittendi ſemet Ieſu, Domino, is ſane culpa praefractae mentis ac repugnantiae temerariae nullo modo vacare poſſet.

§. 21.

Sed quid agunt illi, qui partium ſtudio abrepti, atque conſilio neutiquam probando, hiſtoriam de Ieſu Chriſto, ipſumque teſtem huius paterni decreti audire plane recuſant; et omnia potius, quae Ieſus de ſe, rebusque ad ſe pertinentibus dixiſſe perhibetur, ſubiicere rationis arbitrio conantur? Iniquiſſima, opinor, ratione in re tam graui procedunt. Cuiusnam enim antiquioris aeui philoſophi aut celebrioris alius doctoris in cauſa, vbi ſententia de eo ferenda eſt, non auditur ante omnia hiſtoria? Quid autem opponi iure poteſt ſacrae hiſtoriae teſtimonio de Ieſu? aut quibusnam argumentis dubia hactenus reddi potuit de ortus eiusdem, aut viuendi, agendi, docendique ratione narratio? Nonne, vel centies examinata, artibusque fere omnibus impugnata, tamen fide digniſſima nunquam non reperta eſt? Nonne illa ſola eſt, quae nos veluti in rem tum

praesentem reducit, et de eo, quod isto tempore vitae ac muneris Iesu, actum creditumque sit ab omnibus fere, aequis rerum arbitris ac spectatoribus, quis qualisue ipse fuerit, qualem doctrinam coaeuis proposuerit, quomodo auctoritatem fidemque sibi conciliauerit, ac tuitus sit, quam famam sibi parauerit, quibusnam virtutibus ita inclaruerit, vt omnium oculos in se conuerteret, omnes in admirationem sui raperet, admirabili simplicitate, ac veritatis studio plane non fucato nos instruat? — Quid igitur impedit, quo minus nos huic Iesu, prouti ex consilio diuino constitutus est ab aeterno Christus ac Dominus, pia mente sponte et sincere submittamus?

§. 22.

Ad hanc vero submissionem argumentis, non vi, suadendo, non praecipiendo, alliciendo, non cogendo, hominum animi sunt adducendi. Ingenio etenim humano, ei maxime, quod solertia ac subtilitate excellit, quod non modo rationis vsui longo, ac philosophiae studio assiduo adsuetum, verum etiam vtriusque cultura perpetua insigniter perpolitum est, difficillimum plane non videri non posse, si missis quasi istis opibus omnibus, alienae disciplinae, parum antea cognitae, ac tantum non neglectae se subiicere, h. e. dicta Scripturae, reuelatione nobis diuinitus concessae, audire et ad eorum normam iudicium formare moneatur, quis ibit facile inficias? Aequi igitur tanti momenti rei aestimatores ac iudices haud videremur, si hoc dare renitentibus doctrinae nostrae christianae, ad tempus plane nollemus, *rem* esse profecto *arduam*, neque illico submissionem ab istis esse extorquen-

dam eam, quam nos, literarum ſacrarum inſtitutioni a pueris adſueti, ſponte illi ac ſine vlla moleſtia tribuimus. Verum negandum tamen nullo modo eſt, in denegata doctrinae diuinae, nobis omnibus clariſſime propoſitae, atque auctoritatis abſolutiſſimae argumentis ſatis munitae, ſubmiſſione atque approbatione latere omnem diſſidii perpetui, totque ac tantarum litium itemque pertinaciſſimarum fontem. Etenim, quousque tandem rationis dictamen, ſiue id, quod homo vel acutiſſimus e ſuo ipſius ingenio depromit, par iudicabitur auctoritati atque inſtitutioni diuinae, inprimis ſi quaeſtio eſt de modo ac mediis, quibus adiuuari noſtra infirmitas immo miſeria poſſit, aut quibus nos ad certiſſimae ac perfectiſſimae felicitatis vſum duci valeamus; eo vſque animorum ad vnam eandemque ſpem fidemque coniunctio nullo pacto erit acquirenda, aut ſententiarum conſenſus conciliandus.

§. 23.

Verum non vna eſt in rationis ac philoſophiae abuſu, imperioque huic, feruentibus tam multorum animis, vindicato ſita, diſiunctionis animorum, tantarumque pugnarum cauſa; ſed accedit etiam inter eos ipſos, qui religioni chriſtianae addicti, ipſiusque euangelicae eccleſiae ſocii videri volunt, opinionum de Ieſu domino ac Chriſto diuerſitas multiplex vtique, atque diſſenſus admodum pertinax, cuius origo quaerenda eſt in interpretationis s. ſcripturae varietate, diuerſisque maxime principiis, quibus ea nititur. Hae ſane ſunt, quod bene ſcio, querelae ab antiquiſſimo inde chriſtianiſmi tempore auditae. Verum apertum etiam, atque nullo modo negandum eſt, hac noſtra aetate longe

maiori acerbitate, immo audacia, et in aliter ſentientes ab vna parte inexcuſabili iniquitate, nimia praeſumtione veri, et audendi quidquid leuitate controuerſias agitari; ab altera autem nimis forſitan negligi ac ſilendo potius quam fortiter reſiſtendo trahi: quamquam non deſunt Demareſii, Seileri, aliique, quorum merita inſignia nec delebit temporis iniuria, nec vacua praemiis relinquet aeternitas.

§. 24.

At enim vero, bone Deus! quo tandem abibit religionis puritas atque vnitas? quo profligata dolebit poſteritas eiuſdem beneficia atque commoda, quorum maximum ac praeſtantiſſimum eſt in tranquillitatis animorum firmiter fundatae ſenſu, etiam inter ipſa mortis pericula dulciſſimo, nec omnino diſſimile aut ſeiungendum ab illo, ſanctitatis ac virtutis ingenuum ac nulli temporis vel morum deprauationi cedens ſtudium? niſi ſint hac noſtra aetate, maneantque inpoſterum, qui dictae ſubmiſſionis, Deo atque Ieſu Chriſto debitae, quem Pater propoſuit nobis atque commendauit tanquam Χριςὸν καὶ Κύριον, nunc ſumma celſitudine, potentia et gloria indutum, ſanctum ius atque neceſſitatem agnoſcant, ad eamque omni modo demonſtrandam facillimos ſe praebeant. Atque concedat hoc, curetque in eccleſiae ſuae emolumentum, is cuius eſt conſilium iſtud immutabile.

§. 25.

Quae cum ita a nobis, pro temporis ac virium ratione diſputata ſint, aequos rei arbitros rogamus, vt iudicent an haec Domini noſtri Ieſu Chriſti pia veneratio, *Chriſtolatriae* nomine notari mereatur? Haec enim ipſi ex noſtra

ſententia debita veneratio, hic haec adoratio cultus, maiorum noſtrorum, per omnia retro ſecula florentis eccleſiae ab eodem nominatae, inprimis vero euangelico Lutheranae doctorum conſenſu probata, nullaque inanis ſuperſtitionis ſpecie vel leuiſſima vnquam ſuſpecta, coepit ſane ita criminando nuperrime lacerari ac deſpectui omnium, ſi poſſet, tradi in perpetuum. Quae inaudita, per omne tempus, iniuria ſumma, eo minus, vt ſperamus, in detrimentum veritatis, inſinuare ſe in animos iuuenum poterit, quo facilius quisque vel mediocriter inſtructus religionis ſcientia, in hoc nobiscum conſentiet, ſi dicamus: eiusmodi ſuperſtitionis in re tanta periculum non potuiſſe in ſcripturis ſine grauiſſima dehortatione, immo comminatione relinqui. Vbinam vero hoc factum eſt? Immo probauit non modo, ſed ſuauiter alliciendo adſueſcere ſtuduit diſcipulos ſuos ad hanc λατρέιαν, atque eos, viuus adhuc, ita praeparauit, vt poſt reſurrectionem palam exercerent eam vbique, ac propemodum toti in ea viuerent. *Luc.* 24, 52. 53. — Ioannem quidem dehortatus eſt aliquando angelus, *Apoc.* 22, 9. ὅρα μή· σύνδȣλός σȣ ἐιμὶ, καὶ τῶν ἀδελφῶν σȣ, τῶν προφητῶν, καὶ τῶν τηρȣ́ντων τȣ̀ς λόγȣς τȣ̃ βιβλίȣ τȣ́τȣ· τῷ Θεῷ προσκύνησον. Sed num vſpiam tale aliquid a Ieſu auditum eſt? Nihil quidquam ex ſcriptura ad defendendam vel excuſandam iniuriam iſtam afferri poteſt; quae potius ipſiſſimis hiſce verbis λατρείας, δȣλέιας, προσκυνεῖν, *Luc.* 24, 52. loco euidentiſſimo, itemque *Rom.* 14, 18. *Coloſſ.* 3, 24. *Ebr.* 1, 6. chriſtianis commendat nihil, quo eiusmodi abuſus ſummae venerationis, (quaſi vni Patri debitae,) vel vlla cum veritatis ſpecie probari, multo minus quo in opprobrium vniuerſi coetus

Christianorum verti recte possit. Nos enim adeo ad λατρείαν λογικὴν, Iesu Christo, Domino nostro, Patris aeterno Filio, vna cum ipso Patre ac spiritu sancto obstrictos nosmet scimus ac profitemur, vt vel ipsum christiani nomen abiicere nobis videremur, nisi etiam de hoc ipso Domino nostro Iesu Christo affirmare toto pectore vellemus: ὅτι ἐξ αὐτȣ̃, καὶ δὶ αὐτȣ̃, καὶ ἐις αὐτὸν τὰ πάντα· addita pia doxologia: αὐτῷ ἡ δόξα ἐις τȣ̀ς αἰῶνας. Ἀμήν!